



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 90119231**

§. 70. Principum atque Illustrium obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII.  
A. C. 1688.

§. LXX.

*Principum aliorumque Illustrium  
obitus.*

*Priet. An-  
nal. cont.*

Jam supra memoravimus, Maximilianum Henricum Bavarizæ Ducem atque Archiepiscopum & Electorem Coloniensem hoc anno decessisse, eique neglecta Fürstenbergii postulatione successisse Josephum Clementem Ratisbonensem Episcopum. In Hildesheimensi vero Ecclesia die decima nona Julii Jodocum Edmundum de Brabeck, in Monasteriensi die vigesima ejusdem Mensis Fridericum Christianum de Plettenberg, ac denique die decima septima Augusti in Leodiensi Jacobum Ludovicum de Eldern Successores habuit. Die etiam vigesima nona Martii decessit Marcus Antonius Justinianus Venetæ Reipublicæ Dux, ob Regiminis felicitatem æterna memoria a Venetis recolendus, cui die decima tertia Aprilis omnium suffragio subrogatus est, Joannes Franciscus Morosinus crebris contra Barbaros victoriis inclytus. Naturæ insuper debitum solvit Berolini die undecima Maij anno ætatis sexagesimo nono, Regiminis vero quadragesimo nono Fridericus Guilielmus Elector Brandeburgicus, qui, si belli for-



fortuna animi fortitudini respondisset, Sæc. XVII. A. C. 1688.  
 ditiones suas longe lateque extendisset; quamvis enim Suecos tota Pomerania eiecisset, iteratisque præliis hostes suos debellasset, nihilominus omnia ex Neomagiensis pacis legibus restituere coactus est, exiguo prorsus tot victoriarum fructu: Decessere etiam Fridericus Dux Megapolitano - Suevinensis, Maria Euphrosina Caroli Gustavi Sueciæ Regis Soror, atque Elisabetha Hasso - Cassellensis Dux, necnon Hervordiensis Abbatissa.

§. LXXI.

*Scriptorum religione Catholicorum decessus, & opera.*

Inter egregios Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc anno obiire, celebre sibi nomen, ingensque sui desiderium reliquit Joachimus Sailer Abbas Fischingensis Ord. S. Benedicti, qui virtutum atque eruditionis laude præstans, plurimos libros tam Exegeticos, quam Theologico - Historicos in lucem edidit. Alter erat Carolus du Cange, sive Du Fresne, qui edidit Historiam Imperii Constantinopolitani sub Franciæ Regibus, Tractatum Historicum de Capite S. Joannis Baptistæ, apud Ambianenses asservato, Historiam S. Ludovici.  
*Hist. Eccles. Tom. LXV. Qq vici*

*Du Pin  
 Nouv. Bibl.  
 des Auth.  
 tom. 18.  
 Niceron t. 8.  
 pag. 104.*